Incipit hic practica puerorum et valde bona que dicitur Amicum inducit

sic non sufficit cor dilatare unde sequitur defectus motus cordis. colligantia etiam oris stomachi ad cor. cum stomachus sic debilitatus et rarefactus ad idem facit. Contra hec sinthomata sic est elaborandum. cibetur frequenter et modice cum cibis sorbilibus. detur ergo eis ius galli ne ut in eo faciant offas. In iure autem ponatur pulvis cardamomi et cinamomi ut stomachus confortetur. Comedant parum de gallina vel perdice. bibant etiam vinum temperatum cum calida. applicentur naribus odorifera ut rosa. ratus. muscus. lignum aloes. et similia. ut potionati confortentur. ¶ Spasmus potionatis accidit ex inanitione. est autem spasmus contractio nervorum voluntarium motum impediens. Ex inanitione autem est mortale. set et maxime si fuerit universalis. unde ypo. Spasmus ex elleboro mortale. Fit autem spasmus ex acumine medicine duobus modis. aut quia medicina nimis est unde in nimia quantitate humores educit. aut quia ex acumine suo neruorum humiditatem consumit. unde eorum sequitur contractio. que spasmus dicitur. Sive ergo spasmus fuerit universalis parum aut particularis in eius cura proficimus. Contra proprietatem vero dum incipit sic operabimur. Si vero fluxerit secundum predictam constringatur doctrinam. Si autem constringere non poterimus medendo melius proficiemus. Decoquantur in aqua malva. altea. branca ursina. violaria ex quibus decoctis ex aqua decoctionis conficiatur emplastrum addito semini. fenugreco. et psilio. addito etiam butyro. vel axungia porcina. ponatur hoc emplastrum circa assellas et spinam dorsi usque ad ancham ubi est origo nervorum ungatur spina colli maxime et musculi et nuca cum dialtea butyro et oleo viol. in aqua predicte decoctionis ponatur oleum commune vel viol. et spongia infundatur et hac evaporetur spina et asselle et partes pasmate. vel de predicta decoctione et oleo communi fiat eis balneum et per unam horam in eo faciant moram. Valet etiam cum medulla cervina et axungia gallinacea partes predicte inungantur. Inungatur lac mulieris que feminam peperit super totum corpus et spinam unde nervorum est origo. et fricentur ut nervi humectentur. Explicit

Incipit liber qui dicitur Amicum inducit

Amicum inducit qui votis eius petitionibus condescendit. Iusta igitur amicorum petitio effectui celeriter est mancipenda. ne frigere videatur karitas ociosa. Unde ego Platearius petitionibus vestris condescendens dilectissimi breviter causas et signa egritudinum et curas scribere proposui ut et nostrum laborem optatus prosequeretur effectus et michi vestra dilectio gloriam pariat et honorem. Set cum liber causas egritudinis signa et curas ad unguem plene qui me propono. tum quia uberius multiplicitas quorundam prolixitas perturbaret. tum quia in aliis aliorum opibus hec omnia satis sufficienter sunt ostensa. ¶ Opus igitur propositum vobis sociis moram gerens levius aggrediar, et de quacumque egritudine quelibet sufficienter dicturus sum, tamen ea que experimento didici meliora. et quibus ut consuevi frequentius et in quibus manus mea optatum deus prebuit effectum. ¶ Incipiamus igitur ab effimera. De effimera.

Effimera est febris que fit vicio vel ex principali distemperantia spirituum. habet autem quandoque fieri ex calore aeris. ex labore. ex iracundia. Ex calidis cibis et potibus adsumptis. fit etiam quandoque ex frigiditate aeris. ex inedia. et multis aliis modis. ex quibus quomodo febris innascatur manifestum est. ideo ad presens pretermittendum est ne nimia prolixitas fastidium pariat. cognoscitur autem effimera maxime ex inditio patientis [margin: dicendo se pati calorem preter naturam] ex distemperato calore non multum tamen calorem naturalem excedente. nec in urina adsunt indicia humoris superhabundantis vel putredinis facte et sine typo semper nisi in principio affligit. Cura.

Si fuerit effimera ex ea causa ut ex calore aeris vel ira vel ex calidis cibis et potibus et paciens sit pletoricus generaliter curatur hoc modo. malva et herba viol. coquantur in aqua. et ponantur in tina super quam ligna sint extensa. et eger nudus super eam iacens fumum ab aqua ascendentem accipiat. et sic sudet. postquam satis sudaverit mittatur in aquam. quam exiens in lecto pannis coopertus quiescat. Si enim post balneum calor perseveraverit fiat per totum corpus inunctio vel per ipsam corporis superficiem ex oleo viol. vel ro. vel populeon fiat aer artificialiter frigidus ex discursu aquarum et frigidis herbis in pavimento domus stratis. utatur frigida dieta. Si paciens sit macilentus balneum non est necessarium. sed solum frigide inunctiones et dieta frigida et aer frigidus sufficiunt. ¶ Si vero fuerit effimera de sua causa ut ex predictis sic utiliter curatur. fiat balneum cum decoctione foliorum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1084/0178

MANFRED
LAUTENSCHLÄGER
STIFTUNG